
De aliis Latinitati viis tradendae*

Others Ways to Teach Latin

RAÚL NAVARRO ESPAÑA

Collegium Latinitatis
raunavesp@gmail.com

DOI: 10.48232/eclas.163.08

Recibido: 12/11/2022 — Aceptado: 16/01/2023

Summarium.— Ex magistrorum Iohannis Orberg et Reginaldi Foster studiorum ratione nova proponuntur, quae discipulis Hispanis vel aliunde multam Latinitatis notitiam conferent, exercitia. Primum quemadmodum per saecula homines linguam Latinam docerent, paucis tractabitur. Deinde tres *Silvae Latinae* sive exercitia, quibus discipuli scholis aestivis anno MMXXII exerciti sunt, et duo, quae peritiorum mentes anno scholastico exeunte periclitata sunt, una cum binis colloquiis in appendicis modum accedunt.

Praecipuae voces.— Latinitatis usus; exercitia; I. Orberg; R. Foster

Resumen.— A partir de la forma de enseñar de los maestros Hans Orberg y Reginald Foster se proponen en este artículo nuevos ejercicios que aportarán una gran base de latín a los alumnos españoles o de cualquier otro país. En primer lugar se tratará brevemente el modo de enseñar el latín a lo largo de los siglos. Finalmente se añaden al artículo en forma de apéndice tres *Silvae Latinae* en las que trabajaron los alumnos del curso de verano de 2022, dos de finales de este año escolar y dos *colloquia*.

Palabras clave.— latín activo; actividades; H. Orberg; R. Foster

Abstract.— This paper takes into consideration Hans Orberg and Reginald Foster's teaching method to present new activities that will provide Spanish students and all students in general with deep knowledge. Firstly, a brief account of Latin teaching over the centuries will be given. Last, three *Silvae Latinae* which last summer' students have done and two more of this past academic year are added to this article as an appendix as well as two *colloquia*.

Keywords.— active Latin; activities; H. Orberg; R. Foster

* *Concubia in gremio somno fere, nate, tenebar
nocte ferens te. Sic scribere ego hoc potui.
Gratiam ut in vita mammae et tibi reddere possim?
Gaudia tot mihi da, astra quot aspicio.*

Nullius addictus iurare in verba magistri
(HOR. *Epist.* I, 14)

Praefatio

Quot nunc sunt linguam Latinam discentibus, numquam tot fuisse facultates, quibus suffulti plerique vel ignarissimus doceri possit, nostrum quidam sat cordatus non sine causa dixerit. Hae tamen facultates, quae ex scientiarum processibus proficiscuntur¹, pro nihilo habentur, nisi istae quaelibet per usum fiant sicut inde a Romanorum aetate usque ad nos hoc modo Latinus sermo a quibusdam semper in scholis doctus est, quamvis in dies Latine instituentium numerus paulatim decresceret². Nostra aetate palmam ille Orberg iure meritoque tulit, at quid aliis aetatibus *per usum docere* sibi vellet, probe scimus? Num Orberg unus lampada cursu nobis tradidit? Quae ut enodemus, his paginis partim pauca de Latinitatis initiis partim exercitia et magistrorum duorum ratio studiorum continebuntur.

1. Quid superioribus saeculis *per usum docere* sit

1.1. *De colloquiis et Iesuitis*

Hanc sat intricatam rem, quoad scimus, pauci verbis expressere, ex factis tamen, qualis antiquorum studiorum ratio fuerit, conici licere credimus. Nobis colloquia, ut unum afferamus exemplum, quae discipuli Romani usurpabant, praesto sunt, quibus quidem nomen *Harleianum* et *Montepessulanum* fuit (Dickey, E. 2015). His in colloquiis de rebus cottidianis, quemadmodum discipuli discerent, monstratur, i.d., e suo sermone in eum, quem discebant, convertendo³. Quod saeculo tertio magistri patienter commendabant, id saeculo quinto decimo alii quoque egerunt⁴. Quae ut melius illustrentur, studiorum rationem illorum Iesuitarum, Latinitatis decus atque olim praesidium, legamus:

¹Videlicet universale, quod dicitur, rete, quo quemvis in orbe terrarum convenire licet, et alia similia.

²Omnes fere, qui nunc sunt, Latinitatis per usum cultores, cum ratio illa a magistris olim adhibita Latine discendi docendi paene exstincta fuisset, se ipsi Latine per viam multis ignotam et spretam (scilicet Orberg illius libros) instruxere.

³Tunc temporis duae ad alteram linguam discendam erant viae: vel in ea regione, cuius lingua loqui cuperes, versari, vel domi cum magistro per conversionem et usum lingua imbui.

⁴Plura de saeculis, quae hic tractari non possunt, ne legentibus fastidii nimis pariarum, in librorum adhibitorum descriptione invenientur.

Exercitationes discipulorum, dum scripta magister corrigit, erunt exempli gratia vernacula dictata e syntaxis praescripto Latina facere, lectionem Ciceronianam in vulgi sermonem transferre, eandem Latine transcribere (*Rat.at.* 1606 : 141).

Scholastici ergo ex vernaculo in Latinum sermonem et ex Latino in vernaculum convertebant, ut grammaticam in schola tractatam memoriter tenentes, cum loci ab ipsis Latinitate donarentur, per usum linguam discerent. Cur in sermonem vulgarem loci antea convertendi essent, apparet: nemo nisi ille, qui locum penitus vernaculo sermone intellexeret, eos accurate Latine redderet, quoniam —et hoc e Societatis Iesu regulis conicimus— tirones neque multa vocabula noverant neque magistri cum iis adhuc indoctis Latine de ipsis rebus, quae ab auctoribus tradebantur, colloquebantur. Interpretatio vero nullatenus obstabat, quominus discipuli inter sese et coram magistris de simplicissimis Latine colloqui deberent:

Domi linguae Latinae usum inter scholasticos diligenter conservandum curet; ab hac autem Latine loquendi lege non eximantur, nisi vacationum dies et recreationis hora; nisi forte in aliquibus regionibus Provinciae videretur his etiam temporibus facile posse hunc Latine loquendi usum retineri; faciendum quoque ut nostri, qui nondum studia absolverunt, litteras cum ad nostros scribunt, scribant Latine (*Rat.at.* 1606 : 18).

De quo magister et discipuli primo die Latine colloquerentur? En exemplum a nobis excogitatum discipulisque tam praeteritis quam hodiernis aptum:

M(agister) – Mihi nomen Marcus est. Et tibi?
 D(iscipulus) – Mihi nomen Antonius est.
 M. – Ego Hispali habito, et tu? ubi habitas?
 D. – *Habito [in urbe] Hispali*⁵
 M. – Quot annos habes? (quindecim, sedecim, septendecim...)
 D. – Habeo quindecim

Iesuitae eodem modo primo die tirones vel, ut aiunt, *infimistas* (Stroh 2013: 250) ne micam quidem grammaticae scientes Latine in scholas acciperent. Sed de rebus aliis, quae epistula contineri possent, utputa de difficultate exercitiorum, de indicativo an coniunctivo scribendo, discipuli

⁵ Locativum enim discipulus ignorat, at magister statim eum emendare posset.

scriberent. Neque vero ullum esset dubium, quin magister discipulos incitaret, ut ad litteras eius Latine responderent. Exempli gratia:

MAGISTRI EPISTULA

Magister Carmini spd

Dicere potes condiscipulis tuis me non venturum esse cras in scholam?
Veniam die Martis. Vale!

DISCIPULAE EPISTULA

Carmen magistro spd

*Certe, ego loquor cum Angelo. Vale*⁶

Ita gradatim fieri potuisset, ut quam facillime Latine cum discipulis ad auctores rimandos magistri locuti essent, quod nobis per usum semper docendo idem accideret.

1.2. De Iohanne Comenio et conversione

Ultra a ceteris habitatas regiones transiisse Comenius videtur. Unum reuera ab eo additum, quod sequentium saeculorum studiorum rationem meliorem reddidit: verba cum imaginibus coniunxit. Hoc modo discipulos ad verborum copiam adaugendam iuvare imagines poterant etiamque parvuli vel domi vel in schola linguam Latinam discebant. Quomodo autem lingua Latina tradebatur? Comenii libri universi interpretatione vulgari praediti erant. Hoc est *per usum docere*? Eodem modo absque imaginibus ante Iesuitae fecere, quorum discipuli in initio, cum tirones adhuc essent, ex vernaculo in Latinum sermonem locos sive fictas sententias simpliciores convertebant, quia post Romanorum aetatem, praeter paucos, in quibus Montaigne ille fuit, maternum lac sugens Latinam linguam discebat nullus⁷.

1.3. Qua ratione revera antiqui docerent

Quae cum superiora enarraverimus, nunc quomodo antiqui (Romani, Iesuitae, Comenius) docerent, paucis dici potest. Illi tamen plura quam nos, huius saeculi miseri magistri, faciebant, cum interpretationem unam viam

⁶Hoc verum commercium epistularum cum discipula nostra, quae unum fere annum Latinitatem coluerat, ad docentium animos incitandos monstravimus.

⁷Cf.: Montaigne 1962: 172–173; Gray 1991. Vide quoque Agosto 2020, qui de his rebus deque Latina lingua nunc usurpanda alte lateque disserit.

non arbitrabantur, sed exercitationis quoddam genus fuisse, cui multa alia accedebant, quae quidem Iosephus Iuencius (Iuencius 1825) et Miraglia ille (Miraglia 2009: 29) demonstraverunt, in quibus haec praecipua habebantur:

- a) De locis lectis interrogata
- b) Locorum summaria, quae vel loquendo vel scribendo facientes discipulos magistri emendabant
- c) Loci lecti paraphrasis⁸
- d) Alicuius loci descriptio duce magistro vel paucis elementis discipulo ante datis
- e) Historiarum sive fabularum compositio
- f) Amplificationes et chriae⁹
- g) Narrationes ab ipsis discipulis sine magistro scriptae
- h) Fabulas agere
- i) Disputationes inter discipulos
- k) Exercitia de vocabulis idem significantibus etiamque exercitia de vocabulis contrariis, iuncturis, proverbiiis, quae ad verborum copiam plurimum conferunt.
- l) Optimorum auctorum imitatio

Praeceptores ita discipulos instituebant, ut, haec omnia dum Latine faciebant, auctores tandem universos gustarent. Nam sunt, qui dicant, magistros illos sic docere, quia lingua Latina universalis esset et homines inter sese Latine colloquerentur, sed hodie, Anglia dominante, hoc discipulorum nulli prodesse. Isti, qui nunc sunt, homines, quique talia dicitant, se neque Latine scire neque auctores umquam domi ipsa lingua Latina legere posse fatentur (Beard 2019 et Foreman 2019). Tunc temporis homines auctorum lectione delectabantur, quippe qui per unam, quam omnino intellegebant, linguam cum praeteritarum aetatum hominibus colloquium haberent. Hominis enim animus idem ac prioribus fuit saeculis: Romani et Latini auctores recentiores amaverunt, inviderunt, pugnaverunt, lacrimaverunt, riserunt... aeri temperando dumtaxat ii caruerunt instrumento.

⁸*Eiusdem sententiae per alium sermonem explicatio et liberior interpretatio, cum quaedam mutantes et addentes, copiosius ac dilucidius rem aliquam explicamus* (Forcellini, A. 1864: <http://www.lexica.lin.guax.com/forc2.php?searchedLG=paraphrasis>) [22-01-2023].

⁹Celeberrimum illud Erasmi exemplum de litteris quibusdam: *tuae litterae me magnopere delectarunt* (Erasmus 1823 [1524]-43).

2. De Iohanne Orberg et Reginaldo Foster

2.1. De utriusque studiorum rationibus

Utriusque et Reginaldi et Iohannis vita paene lingua Latina contexta fuit. Alter Hauniae alter Milvauchiae, ambo vero Latinitatis fuerunt amantissimi. Quod ad eorum docendi rationem, ne nimis utrique immoremur temporis, quo inter sese differant, credimus esse dicendum:

Primum Latinitatem ut vivum corpus neque cadaver coli voluerunt. Iohannes ne unum quidem verbum sermone vulgari reddidit, immo omnia Latine explanabat. Reginaldus autem, etsi scholas aliquando dumtaxat Latine habebat¹⁰, fere omnia convertendo docebat. Possuntne haec tam, ut videntur, dissimilia eundem persequi finem, scilicet, Latinam linguam *per usum docere*? Haec posse nos affirmamus. Quasi Romae iterum cum Cicerone conversantes discipulos Iohannes ita ducebat, ut Latine cogitarent et fragmentum Latinum totum sine lexico intellegerent. Reginaldus contra Anglice docens utensque in scholis lexico efficiebat, ut multo minore verborum copia paucas sententias Latinas intellegeres, tamen aliter ac Iohannes inde a primo die vel Ciceronis vel Lactantii vel Erasmi excerpta ob discipulorum oculos ponebat, ut Latina fragmenta legerent et gustarent, quod Orberg, cum semper Latine omnia scriberet, in initio facere non poterat. Aliud etiam Foster proponebat: in sermonem Latinum ex ipsorum auctorum sententiis Anglicas convertere sententias et auctores ipsos imitando novas sententias componere, quod, unum ut afferamus exemplum, ex Cicerone patebit. Ecce sententiam:

Inventus feci, ut fortissimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum e senatu eicerem (De sen., 42)

Primo vel secundo die verborum temporalium exitus statim discipuli intellegent (*fecit... eicereM...*), quorum persona est «ego». Cum vero istius formae *fortissimi viri T. Flaminini fratrem* omnino ignari sint, tamen *L. Flamininum* notissimus iis erit exitus, i.e. accusativus singularis. Cetera, quae ignorant (*ut... e senatu...*) magister plana iis sermone vulgari faciet. Lecta sententia et Anglice reddita substantivorum et verborum temporalium numerus mutabitur¹¹, deinde nova sententia e Ciceronis exemplo fiet:

¹⁰ *Lectiones illae sub arboribus dignae memoratu sunt.*

¹¹ Vocabula sic in sententia ipsa inclinando melius alumnorum medullis infiguntur, quam per vocabula a sententiis lectis disiecta (utputa «rosa pulchra, rosae pulchrae, rosas pulchras»...), quorum vim discipuli ignorant, sed psittacorum ritu incassum deflectunt.

Inviti fecimus, ut studia Latina e schola eiceremus¹²

Optimum, ut apparet, est exemplum, quod discipulis plurimum prodest, quamquam litteris initiati convertere debeant et non Latinam vestem videlicet —sit venia verbo— Orbergianam a primo die gerere possint. Hoc modo olim praeceptores docuerunt (Romani, Iesuitae, Comenius,...) et nostris ex testimoniis, quantum discipuli didicerint, legentes videbunt.

2.2. De amborum comparandis rationibus

Exemplo hoc adhibito non adeo dissentire studiorum rationes, ut illius Foster, cum Anglice praecipue agantur, respui debeant, arbitramur. Quaedam sunt autem, quae melius accommodari possint, ut vocabulorum copia discipulis magis magisque augeatur, quam quidem *Familia Romana* (Orberg 1991), qua omnes revera Latine legere didicimus, abundanter praestat, Reginaldi autem ratio, cum lexicon nimia religione a primis diebus in schola veneretur, ab hoc proposito quadamtenus discedit et paucis vocabulis veluti in procinctu discipuli tribus annis elapsis grammaticae partes discunt et paginam Latinam sine lexico legere vix valent.

Quod ad alumnorum eruditionem, illius Orberg ratio Reginaldi rationem longe praecellit, primum quod, ut superius diximus, maiore vocabulorum copia ditantur discipuli, deinde se docendi facultate ab illo Orberg alumnis praebita demum soli magnos processus efficiunt, ratione vero Fosteriana nihil magistro absente disci potest, cum etiam ad minima discenda exempla alicunde a magistro vel invenienda vel excogitanda sint, quibus discipuli instituantur. Orberg ille aliud fecit, ansam enim omnibus se erudiendi ubique gentium praebuit, ut duobus libris multam doctrinam quispiam adipisci posset¹³. Denique, cur Orberg ille palmam tulerit, dicendum est: omnia Latine docet, quasi cum Tito Livio domi veluti hospites versaremur. Hoc a nullo antea tam perfecte factum est, quam ab illo Orberg¹⁴.

¹²Si quis exemplum ab ipso Foster propositum audire cupiat, hunc nexum <https://www.youtube.com/watch?v=zKe7qT8vUI> adeat [22-01-2023].

¹³Etsi Orberg ille multa subministrat, cum non semper omnia discipulus se ipse instituens intellegat (mortales enim sumus neque sine ullo magistro aliquis quicquam recte quasi natura facere potest), discipulorum doctrinam ea studiorum ratione perfectiorem faciet doctus magister. Ambae igitur rationes —et Reginaldi et Iohannis—, ut verum fateamur, magistrum doctum, qui Latinitatis elegantias doceat, postulat.

¹⁴Quam prosit sermone eodem, quem discimus, erudiri hoc alte lateque multi homines affirmaverunt, ex. gr. in academia Bostoniensi. (SLA and Classics Seminar: <https://blogs.umb.edu/classicsandreligioustudies/sla-and-classics-seminar/> [22-01-2023]); vide etiam Aguilar 2019a, Aguilar 2020b, , Tárrega 2018a, Tárrega 2022b. Nihil aliud hi auctores asseverant, quam id, quod iam humaniorum litterarum cultores saeculo XVI scripserunt (Tunberg 2012).

Qua de causa, Orberg illius cum dilaudentur et doctrina et manuales libri, de docendi ratione illius Foster hic quoque disserimus? Necessè est de hoc fusius loqui, praesertim cum tantum scientiae linguaeque peritiae utrique ex his magistris insit. Quamvis Orberg ille nobis optimum, quod vix hodie ab ullo aequari possit, subsidium comparaverit, aliud se ipsos instituentes, aliud discipulos in lyceo docere putamus (inde orta enataque nostrae symbolae scribendae causa). De nostratibus, scilicet, Hispanis, nunc est agendum. Duos dumtaxat annos sermonem Latinum in lyceis Hispanicis plurimis cum discipulorum tum rei publicae difficultatibus magistri pressi docent. Orberg illius libri duos annos scholasticos (scilicet breviores quam annos, dicamus, communes) a discipulis legi non possunt, quin etiam is, qui invitos alumnos vehementer totam ad libri unius lectionem¹⁵ maximis cruciatibus et temporis angustiis, quae pro dolor vitari non possunt omnesque cogunt, duxerit, alumnos summos Latinitatis osores suis ipse oculis spectabit¹⁶. Libri igitur oportet tres vel quattuor saltem annos sine ulla animi contentione legantur, ne cum grammatica litterarum odium nascatur, quod pessimum cuivis magistro sit. Tamen optima, quae uno libro continetur, Orberg illius est ratio, sed duo anni nimis parum temporis est, ut discipulos instituas. Huc accedit, quod Orberg illius libri se docentibus destinantur, non discipulis, qui magistrum apud se habeant. Quid nunc? Herbam dabimus? Minime vero, non dabimus. Ex hac difficultate Reginaldi ratio quasi ex caelis descendit. Num Latinam linguam *per usum docere* mitemus? Minime vero, ideo aliquid, dixerimus, novum legentibus proponimus.

3. De scholis nostris et *Silvis Latinis*

In vocabulorum discipulis memoriter tenenda copia, uti supra monstravimus, Reginaldi ratio praecipue claudicabat, cum praesertim neque vocabulis synonymis neque contrariis neque revera linguae crebro usui opera navaretur, sed maxime interpretationi vulgari sermone. Coniunctis vero iis, quae Romani, humanistae, Iesuitae fecerant, novam fere rationem iis ex magistris obtinimus, quam, hoc fatendum est, numquam invenire valuissemus, nisi ipsi domi Orberg illo praeunte eius libros Latine tantum conscriptos prius legissemus atque adulescentes ebibissemus (Navarro

¹⁵Videlicet *Familiae Romanae*.

¹⁶Si totum non evolvamus librum *Familiae Romanae* et dimidium tantum legatur, plurimum adhuc discipulis grammaticae defuturum esse, recoli oportet, totus igitur ante pericula publica discipulis subeunda legendus est, sin aliter, quid alumni, qui non bene parati sunt, fiet?

2023). Exhibitis tamen superius Iohannis rationis in schola difficultatibus, novum ex Reginaldo et Iohanne Orberg docendi coluimus modum, quem paucis exposituri sumus.

3.1. *De scholis nostris*

Tota Reginaldi doctrina uno libro continetur, quem paucos abhinc annos foras dedit (Foster 2016a)¹⁷. Hic legi potest docendi via: inde a primo die auctores discipuli legunt, quare omnium fere aetatum scriptores excerptas oportet, ut exempla innumera ad grammaticam tractandam adhiberi possint. Scholae enim Reginaldi in quinque dividuntur *experientias* (prima, secunda et sic porro), quibus singulis in libro, cuius mentionem fecimus, triginta et quinque *congressus* sive scholae sunt. Altero scilicet scholarum die nominativus et accusativus primae et secundae declinationis (GREX I¹⁸) demonstrandi sunt, ad quorum demonstrationem exemplum ex auctoribus sumpsimus:

- i) «deus sum. Conmutavero» (Pl. *Amph.*, 53)
- ii) «equidem ecastor sana et salva sum» (Pl. *Amph.*, 730)
- iii) «Alcumena geminos peperit filios / Ain tu geminos? / Geminos / Di me servant» (Pl. *Amph.*, 1088–89)
- iv) «erant insuper in ore eius multae facetiae» (Picc. *De duob. am.*)

Sed quomodo haec Latine ea, quam excogitavimus, ratione tractari possit? Non semper hac via Latine omnia praecipue in initio tractari possunt, quaedam vero Latine cum discipulis comprehendere possumus. Nunc Orberg illius et humanistarum doctrina et sapientia nobis succurrit. Prima sententia Latine statim a discipulis intellegitur pro *deus* contrarium dicendo (\neq *humanus*, *homo*). Et verbum temporale *sum* primo die facillimum plurimis exemplis demonstrari licet, ex.gr.: *Marcus bonus discipulus est, sed tu non bonus es. Marcus et Antonius boni discipuli sunt...* Cetera eodem modo ita agamus, ut alumni quam plurima Latine intellegant, quamvis aliquando vulgari sermone quicquam saltem in initio explanemus.

¹⁷ Plures libri adhuc emittendi sunt, qui hoc in nexu inspicere possunt: <https://thelatinlanguage.org/latinitatis-corpus/> [22-01-2023].

¹⁸ Quo Latinius omnia fluant, nomina a Foster ficta (*Block I, crazy form...*) Latinitate donavimus et multa aliter ac magister ille nominavimus, utputa *familiae* pro «groups» (vulgo «coniugatio»), *gregiculi* pro «small block/ appendix» (vulgo «quarta et quinta declinatio») et sic porro.

Quo Reginaldi ab illo Orberg differunt scholae? Ex Reginaldi mente auctoribus nihil nobis melius est ad Latinitatem docendam¹⁹, ex illo vero Orberg usus linguae, quam Reginaldus haud multis exercitiis et Anglice et Latine exercere solebat²⁰. Alia etiam huc accedunt. Primum omnes discipuli nostri adversaria habent, in quibus vocabula synonyma et contraria memoriae diversimode mandanda ex ipsis exemplis denotant²¹. Hoc modo lexico non ita inserviunt, ut pericula in lingua Latina absque eo subire etiamque Latine epistularum commercium cum aliis alumnis habere valeant. Tamen sic docentibus multa, quae liber praestitisset, paranda sunt, utputa, vocabula usitatiora iterum iterumque varie retractare, praeterita recognoscere, colloquia Latine habere²² et sic porro²³. Deinde, quoad possumus, lingua Latina inter scholas loquimur et quam plurimum grammaticae rerumque cotidianarum, ut sermonem Latinum audire alumni assuescant, Latine explanamus²⁴. Sic ex duobus magistris alia via patefacta est.

Sed haec hactenus.

¹⁹ Quid *auctor* Reginaldo docente et quid magistris, qui nunc sunt, sibi vellet, hic alte lateque dissendendum est. Nobis sermonem Latinum docentibus nihil Ciceronis excerptum vel *Familiae Romanae* capitulum tertium differunt. Ad delectamentum enim animique eruditionem Cicero, ad discipulorum institutionem Orberg spectat, cum tamen Latinitatis indoli consulatur, tanti illius Orberg, quanti Ciceronis fragmentum legere aestimamus. Reginaldi vero studiorum ratio, cum humanitatem neque tantum grammaticam docere semper quaerat, Ciceronis vel Aegeriae fragmentum non parvi facit, quod a multis hodie fortasse haud comprobaretur. Neque Orberg illius ratio neque Reginaldi sperni possunt, nam quod ad *Familiam Romanam* attinet, eo nullum invenias politioem neque utilioem librum, nam a verborum iuncturis sermonisque puritate ac castitate ne transversum quidem unguem discedit, sed donec ad alterum volumen perveneris, humanitatem illam, quam Foster a primo die docet, non videbis. Hac de causa, cum hic de nostra, dicamus, nova via loquamur, neutrius spernimus magistri sententiam atque omnis aevi auctores —hoc enim Foster praecipit—, dum Latinitatem semper pulchram et bonam foveant, praelegendos esse putamus. Latinitas igitur non modo Ciceronem, sed etiam Aegeriam, Divum Thomam, Franciscum Bacon aliosque plures complectitur, ergo omnes sunt legendi, qui bona dicant, auctores, eorum vero Latinitatem bonus grammaticus coram discipulis aestimans scribendi vitia stylumque, si necesse fuerit, emendabit simulque auctoris doctrinam, thesaurum nobis traditum, laudabit (Stephenson 1939).

²⁰ Pooley 2021; Coulter (locus retialis in librorum adhibitorum descriptione adiri potest) [22-01-2023].

²¹ Quomodo vocabula memoriter teneant, legentibus patebit, i. d. scribendo loquendo legendo, quae non uno modo agi possunt. Quod ad lectionem, vehementissime suademus, ut cum libri mythologici ab Andrea Olimpi (Olimpi 2017) conscripti in scholis Latine tum Orberg illius libri legantur, qui quippe adiumento incitamentoque discipulis futuri sint.

²² Vid. *Appendicem II*. Etsi colloquia ab humanistis vel ab aliis recentioribus conscripta legenda suadentur, ex nostris discipulis ne fere ullus sit, qui Erasmi colloquium primis diebus legere possit, cum tantum illic grammaticae et vocabulorum contineatur. Qua de causa fere singulas ad scholas novum scribimus colloquium, quod vocabula iam tractata et usitatiora et, quantum didicerint grammaticae, complectitur. Aliter non fit, ut discipulis colloquia in initio prosint.

²³ Ad humanitatis cultorum doctrinam supra expositam animus magistri plura sciendi cupidi convertant.

²⁴ Quid in sinu portemus, quot nummi in crumena habeamus, quid per fenestram spectemus, cur discipulus hodie post tempus veniat, et plura idgenus Latine dicenda sunt.

3.2. De Silvis Latinis²⁵

Quae si ad ingenia discipulorum periclitanda non sufficerent, ex Reginaldi ratione scribere exercitia singulis hebdomadibus perreximus, quae quidem cum aliter proposita essent, alio nomine quoque nominarentur. Hinc ortae sunt *Silvae Latinae*. Quantum, si lector quaesiverit, sit inter has et *ludos*, qui vocabantur, *domesticos* a Reginaldo excogitatos discriminis, nunc ipsum apparebit. Noster est scopus non convertere, sed ipsa lingua auctores quam plurimos intellegere, quare a discipulis, ut ex Latino sermone in vulgarem convertant, raro exigitur, contra de grammatica et de ipsis locis interrogantur. Paucis verbis exemplum adhibebimus. Cum scholarum nostrarum grammatica et vocabulis et iuncturis alumni imbui debeant, ansam iis praebemus, qua nisi haec tum in schola tum domi per auctores faciant. Plerumque duo vel tria fragmenta diversis ex auctoribus proponuntur, quibus exercitia plurima accedunt, sed omnia a fragmentis pendent. Quae vero fragmenta nullatenus discipuli soli intellegent, sed nos in schola, priusquam iis exercitia tradamus, Latine, quoad potuerimus, explanare conabimur, nam pro dolor non omnia Latine sine multa verborum copia intellegi possunt²⁶. Quae igitur obscuriora nobis videntur, vulgari sermone dicimus, et vocabulum id mox ipsis periclitaturis memoriae tenendum esse pro certo alumni habebunt. In *Silvis* numquam de subiecto neque de praedicato neque de complemento agentis agitur, sed de grammatica ipsa aut de fragmentis, quae per interrogata clariora Latine fiunt. Haec pensa a discipulis confecta magistro dantur, qui omnia curiose emendet et castiget. Antequam iterum nova pensa tradantur, magister pensa emendata alumnis reddet, quae iam existimata, quo melius vitia liqueant, in schola coram discipulis iterum corrigantur²⁷.

²⁵ His, quas lector in calce videbit, *Silvis* ex prima illius Foster experientia quidam, ut Reginaldus dicebat, congressus continentur, quae Latinitatis fundamenta (declinationes, verba activa, passiva... Foster 2016: IX–XI) complectitur. Hae igitur tironibus deputantur. Sin vero peritioribus exempla inspicere lector velit, *Appendicem III* ad tertiam, quae vocatur, experientiam attigentem inspiciat.

²⁶ Paulatim hoc fieri poterit.

²⁷ Exercitia sic existimantur: in exercitiorum margine eorum alumnorum, qui omne punctum tulerunt, «PERPLACET» scribitur (Hispanice «sobresaliente», quae existimatio numeris «9» vel «10» Hispanice indicatur); in margine eorum, qui mediocriter rem egerunt, «PLACET» (Hispanice «notable», quae existimatio numeris «7» vel «8» Hispanice indicatur); in margine eorum, qui non tan bene pensa confecerunt, «PLACET IUXTA MODUM» (Hispanice «aprobado», quae existimatio numeris «5» vel «6» Hispanice indicatur); in margine eorum, qui rem pessime fecerunt, «DISPLICET», (Hispanice «suspensio», quae existimatio numero «4» Hispanice indicatur). Si iuxta existimationem sagittulae adduntur, maioris vel minoris exercitia aestimari sibi volunt, e.g. «PLACET /» idem esset ac «8», «PLACET \» idem esset ac «7».

4. De huius rationis commodis et incommodis sive de conclusione

Cur haec docendi ratio plurimum prosit, hic putamus demum exponendum esse:

- i) Cotidie auctores in schola leguntur eosque discipuli imitantur.
- ii) Verborum paulatim et varie augetur copia.
- iii) Latinitas tota, videlicet inde a Plauto usque ad Annam Elissam Radke magistris volentibus tractari potest.
- iv) Grammatica minore temporis spatio per usum docetur.
- v) Seligendi libros, quos discipuli legant, (fabellas, parvas historias, auctores recentiores, mythos Graecos Latinitate donatos...) est libertas.
- vi) *Silvis* efficiemus, ut discipulorum sermonis Latini notitia quavis studiorum per usum ratione augeatur. Quod ut adipiscamur, ad discipulorum intellectum descendere atque *Silvas* Latine componi necesse est.

Quae sint vero huius rationis incommoda sive condiciones, hic dicimus:

- i) Plurimum a magistris exigitur, i.d., magistri auctores tamquam sua lingua legere posse cotidie debent, cum inde exempla discipulis proponenda sumere debeant. Magnum enim nunc, quo Latinitatis cultores inquinantur, vitium est. Auctorum lectio in desuetum venit neque Latinitatis plerique cultorum neque professores academici auctores domi libenter evolvunt, hos potius vulgares cotidie lectitare auctores quam Latinos, quos tantum ad discipulorum animos cruciandos interpretatione ante vulgari ab iis inspecta attrahunt, videre veri similis est. Itaque, qui hoc modo docere statuat, sat peritus litterarum Latinarum sit necesse est. Sat etiam temporis poscitur, ut semel in hebdomade *Silva Latina* exaretur, quam multis ex auctoribus colliget magister.
- ii) Loquendi legendi scribendi Latine facultatem facilitatemque magistro non habente haec omnia frustra erunt et cum nullus, qui eos recte ducat, discipulis sit, pauca *sine usu* discent.
- iii) Cogendi sunt discipuli, ut Latine legant loquantur scribant. Tantum *per usum* discitur. Hoc a magistris, ut secunda condicione dictum est, praestabitur, ii enim discipulis exemplo erunt.

Tres annos hac studiorum ratione nisi docuimus, quam, cum discipulis nostris fructui magno fuisse videremus, cum ceteris collegis communicandam duximus. Neque magistri peritissimi neque Latinitatis custodes, immo miseri et semper discipuli a nobis habebimur, cum tamen quicquam bonum invenerimus, partiendum cum Latinitatis cultoribus esse statuimus. Multa sunt, quae hoc tempore habemus quaeque discipulorum moveant animos efficiantque, ut gradatim discere pergant, subsidia, sed cum hic vix contineri possint, exemplum tantum attulimus, quod aliis amicis adiumento fore speramus. Reliquum est, ut magistri, si libet, nunc discipulis *Silvas* suas *Latinas* excogitent²⁸. Id tantum, ut nostro finem imponamus scripto, asseveramus, ut omnia multo facilius fructuosius iucundius per usum discantur.

²⁸Has enim singulis annis a magistris excogitari debere putamus, quo melius ad discipulorum ingenium omnia aptemus atque accommodemus.

APPENDIX I

SILVA LATINA II²⁹
LATINITAS OBULCULENSIS MMXXII

Aulius Gellius Romae habitavit, cum Hadrianus princeps erat. *Noctes Atticas* Athenis nocte scripsit, quae doctrinam plurimam illius aetatis continent.

i) *Herodes Atticus* [...] **accersebat** [= vocabat] *saepe* [...] *in villas ei urbi proximas me et clarissimum virum Servilianum *compluresque**³⁰ *alios nostrates** [acc.pl.], *qui Roma in Graeciam *ad capiendum ingenii cultum** [= para recibir una formación académica] *concesserant*.

- a) «accersebat» est persona _____, ergo verbum in plurali numero _____.
- b) Quid «in + acc.» significat? Quid ergo «in villas» significat? Et «in Graeciam»?
- c) Quem casum «accersebat» poscit? Est in sententia? Indica eum.
- d) Quod tempus «concesserant» est? Scribe tres praecipuas partes sicut in lexico legitur et dic, quid significet. Scribe quoque omnia tempora, quae scis, in persona «tu».
- e) Pone in plurali vel in singulari numero sententiam: «accersebat saepe in villas ei urbi proximas me et clarissimum virum Servilianum... qui Roma in Graeciam... concesserant»
- f) Adde relativum pronomen aptum:
 - Gellius et ego, _____ in Graeciam Atticus accersebat, boni eramus.
 - Pueri, _____ cantant, laeti sunt.
 - Puellae, _____ dormiunt, fessae sunt.
- g) Dic Latine: «Los caballos [equus] que estás viendo llegan mañana a Madrid [= Matritum]».

ii) **hi dicebantur in eo tempore mathematicoi** [= estos eran llamados en aquel tiempo matemáticos], **ab his scilicet artibus** [= a razón de esas artes], *quas iam discere atque meditari inceptaverant: quoniam geometriam, gnomonicam, musicam ceterasque item disciplinas altiores *mathemata** [nt. pl.] *veteres Graeci*

²⁹ His in paginis tractabuntur recognoscenturque: Verbum «esse» totum in indicativo/ Praepositiones cum accusativo / Principales verborum partes et tempora indicativi (praeteritum, plusquamperfectum, fut. Perf.)/ relativa.

³⁰ = multos

appellabant; vulgus [= homines communes] **autem** [= sed], *quos *gentilicio vocabulo** [= con un gentilicio] «*Chaldaeos*» *dicere oportet*, «*mathematicos*» *dicit*.

- a) «*inceptaverant*» est tempus _____, ergo verbum in singulari numero _____ . E quo verbo originem ducit? Scribe omnia tempora, quae scis, in persona «nos».
- b) Pone in singulari vel in plurali numero sententiam: «quoniam geometriam, gnomonicam, musicam ceterasque item disciplinas...Graeci appellabant».
- c) Quae erant ea «*mathemata*»?
- d) Quis doctos viros «*Chaldaeos*» dicit? Et «*mathematicos*»?
- e) E quo verbo «*appellabat*» originem ducit? Scribe omnia tempora in persona «ii, eae, ea».
- f) Adde aptum relativum pronomen:
 - Discipuli, _____ pensa/ exercitia faciunt, boni sunt.
 - Tabernarius, _____ vides, hic non est.
 - Vulgus, _____ vult, dicit.
- g) Dic Latine: «Los caldeos que has leído fueron grandes matemáticos. *Inventaron* [invenio] muchas cosas».

* * *

SILVA LATINA IV³¹
LATINITAS OBULCULENSIS MMXXII

Thomas Vallauri (1805–1897) Latinae linguae magister fuit. Parvam historiam de Graecia scripsit, quam hodie legemus.

1) *Graecia erat omnis divisa in partes quattuor; quarum* [= de las cuales] *una appellabatur* [= era llamada] *Thessalia, altera Epirus, tertia Hellas, quarta vero Peloponnesus. Erant praeterea graecae coloniae complures in Europa, in Asia Minore et in Africa [...]. Graeciam primi incoluerunt Pelasgi atque Hellenes; *ex quibus** [= de los cuales] *originem *duxerunt** [= habuerunt] *Iones, Aeolii, Dores atque Achaei.*

³¹ His in paginis tractabuntur recognoscenturque: Familiae anomalae (facio, sapio...) / Vocabula in -is (nom acc. Sing pl) Grex II.

- a) Unde «divisa» venit? Dic tres praecipuas partes et scribe modum indicativum et imperativum in persona «is/ea/id».
- b) Quot partes in Graecia erant? Dic nomen!
- c) Pone in plurali vel in singulari numero sententiam: «Erant praeterea graecae coloniae complures in Europa».
- d) E quo verbo «incoluerunt» originem ducit? Dic tres praecipuas partes et scribe modum indicativum et imperativum in persona «nos». Scribe unam sententiam, quae id verbum contineat.
- e) «originem» est casus _____, ergo in plurali numero _____. Dic nominativum et genetivum.
- f) «Iones», «Aeolii», «Achaei» sunt casus _____, ergo in singulari numero _____, _____, _____, _____.
- g) Dic utrum verum an falsum sit:
 - In Europa multae coloniae Graecae erant.
 - Primi, qui Graeciam incoluerant, Aeolii fuerunt.
- h) Dic Latine: «Los *amigos* [= sodalis], que son buenos, siempre dicen la verdad».
- II) *Ad *deorum* [= de los dioses] cultum quod attinet, Phoenices [Phoenix, Phoenicis] atque Aegyptii ad Graeciam advecti, *Saturni* [= de Saturno] religionem intulerant, *cui* [= al cual] *pro victimis* [= en lugar de animales] homines immolabant.*
- a) Dic quid verbum temporale «attinet» significet. Ad quam familiam pertinet?
- b) E quo verbo «advecti» originem ducit? Dic tres praecipuas partes et scribe modum indicativum et imperativum in persona «tu».
- c) Quo Phoenices venerunt? Soline venere?
- d) E quo verbo «intulerant» originem ducit? Dic tres praecipuas partes et indica tempus.
- e) «religionem» est casus _____, ergo in plurali numero _____. Dic nominativum et genetivum!
- f) Quid Phoenices et Aegyptii intulerunt?
- g) Quid in Graecia immolare solebant?
- h) Dic Latine: «*Los padres* [= parens, parentis] habían escuchado *conversaciones* [= sermo, sermonis] que los hijos habían ocultado» / «Calla ahora y escucha».

Publilius Petronius (14–66 p.Ch.n.) Niger *Satyricon* scripsit, quo cena illa Trimalchionis continetur. Nunc Ascyllus et Giton surgere e lecto non possunt. Sunt fessi, sed servus dicit:

III) «*Quid? vos, *inquit* [= dicit], nescitis hodie *apud quem* [= ubi] (convivium/ cena) fiat? Trimalchio, lautissimus homo. Horologium in triclinio et bucinatorem habet subornatum, *ut* [= de manera que] subinde sciat quantum de vita perdiderit!*».

- a) «nescitis» est persona _____, ergo in singulari numero _____. Quod tempus est? Dic synonymum!
- b) Quis Trimalchio hodie faciet?
- c) Pone in plurali vel in singulari numero sententiam: «Trimalchio, lautissimus homo».
- d) Si «horologium» neutrius generis est, in plurali numero erit _____.
- e) Explana LATINE quid sit «bucinator».
- f) E quo verbo «perdiderit» originem ducit? Dic tres praecipuas partes et scribe modum indicativum et imperativum in persona «ego».
- g) Dic Latine: «La cena *de Trimalción* [genetivus] fue muy bonita. Muchos hombres fueron y comieron bien».

* * *

SILVA LATINA VIII³²

LATINITAS OBULCULENSIS MMXXII

Ioannes Pontanus (1426–1503) philosophus fuit. Carmina multa Latina *condidit* [= scripsit].

- 1) *Ad cenam me, Stella, vocas et gaudia lecti:
mensa mihi posita est compositusque torus,
ipsa [= tu sola] ministrabis simul et simul ipsa recumbes
et dabis in medio basia multa *mero* [= vino puro],
Cena *placet* [= delectat]. Venio. Ponam sed *foedera* [= pactum, i] lecti:
me tua cena iuvat, tu mea pacta proba.*

³²His in paginis tractabuntur recognoscunturque: Verba passiva (praeteritum, plusquamperfectum, futurum perfectum)/ Dativus in nominibus, adiectivis, pronominiibus, relativis.

- a) Quis ad cenam auctorem invitat? Dic quoque nomen!
- b) «mihi» est casus _____, ergo in plurali numero _____.
- c) «posita est» et «compositus est» est tempus _____. Activum an passivum? Quaere in lexico ea verba et dic eorum tres praecipuas partes. Quid significant?
- d) Pone in singulari vel in plurali numero versus: «Ad cenam me, Stella, vocas et gaudia lecti/ mensa mihi posita est compositus torus».
- e) «ministrabis» et «recumbes» est tempus _____, ergo in plurali numero _____ et _____.
- f) E quo verbo «recumbes» originem ducit? Dic tres praecipuas partes sicut in lexico leguntur et scribe omnia tempora activa et passiva modi indicativi in persona «ii/dae/ea» et imperativi.
- g) Quid Stella dum bibit vinum («in medio mero») dare debebit?
- h) Auctorem cena delectat?
- i) E quo verbo «foedera» originem ducit? Dic nominativum et genetivum singularem.
- k) Num imponit condiciones auctor?
- l) Dic alio verbo temporali: «me tua cena iuvat». Scribe quoque eo verbo passivo sententiam.
- m) «proba» e quo verbo originem ducit?
- n) Quid Stella probare debet?
- o) Dic Latine: «Aquellos alumnos fueron vistos mientras robaban el dinero».

Leonardus Aretinus (1369–1444) librum *De studiis et litteris* exaravit, quem illustri dominae Baptistae de Malatestis dicavit. Utilia consilia ex aliis mulieribus praecularis, quae magna fecerant, ei dabat.

ii) *Compulsus crebro rumore admirabilium virtutum tuarum scribere ad te constitui [...] Neque enim *desunt* [= desum+dat] mihi clarissimarum mulierum exempla et studiis et litteris et doctrina claruerunt, per *quarum* [feminarum] commemorationem te provocare ad excellentiam *possim* [= podría].*

- a) «constitui» est persona _____, ergo verbum temporale in plurali numero _____ Quid verbum significat?
- b) «admirabilium virtutum tuarum» est casus _____, ergo in singulari numero _____ _____ _____.

- c) Pone in singulari vel in plurali numero sententiam: «compulsus crebro rumore admirabilium virtutum tuarum».
- d) Quid facere constituit auctor?
- e) Quem dativum in sententia invenis? Cum quo verbo coniungitur? Quid significat verbum temporale cum dativo in sententia?
- f) Exempla feminarum sunt? Fueruntne notae?
- g) «et studiis et litteris et doctrina» est casus _____, ergo in plurali vel in singulari numero: _____ .
- h) E quo verbo «claruerunt» originem ducit? Quid significat «et studiis et litteris et doctrina claruerunt»?
- i) Pulchritudine feminae claruerunt?
- k) Quid «per» cum accusativo significat?
- l) Cur auctor dominam Baptistam cum aliis feminis comparat? Quid domina Baptista agere debet?
- m) Dic Latine: «Empujadas por las virtudes *seréis llevadas* [= ago] a la excelencia».

III) *Et *Saphos* [= genetivus] poemata et libri summo in honore apud grecos propter singularem facundiam et *scribendi artem* [= habilidad para escribir] habiti sunt. Aspasia quoque per tempora *Socratis* [= genetivus] fuit doctissima quidem mulier.*

- a) Pone in plurali numero: «in summo honore» — _____ .
- b) Dic aliter pro «propter».
- c) Cur Sappho omnes aestimabant? (Quid scripserat?).
- d) Quod tempus «habiti sunt» est? E quo verbo originem ducit? Quid verbum activum et passivum significare possunt?
- e) Quando Aspasia vixit? Num fuit indocta?
- f) Pone in singulari vel in plurali numero: «Aspasia quoque per tempora Socratis fuit doctissima quidem mulier».
- g) Dic Latine: «Esas personas [homo, hominis] habían sido consideradas muy inteligentes y trabajadoras».

APPENDIX II*SCHOLASTICA COLLOQUIORUM LATINORUM EXEMPLA*

COLLOQUIUM I

—Salve!

—Salve!

—Quod nomen est tibi?

—Mihi nomen est Medus. Et tibi?

—Mihi nomen est Aemilia.

—Quot annos habes?

—Quattuórdecim (xiv), quíndecim (xv) / sédecim (xvi) / septéndecim (xvii) annos habeo.

—Et tu?

—Ego quíndecim annos habeo.

—Et ubi habitas?

—Hispali habito. Et tu?

—Obulculae [= Fuentes de Andalucía] / Aere Sacro [= La Campana] / Astigi [= Écija] / Ludovicianae [= La Luisiana] / Campellulo [= Campillo] habito.

—Vale!

—Vale!

COLLOQUIUM II

Personae: Marcus, Antonius, Eusebius.

M.—Amicos meos iam video. Valde Antonium et Eusebium diligo et convenire eos cupio. Ecce veniunt. Salvete, amici!

A.—Salve, Marce! Bene vales?

M.—Optime, et tu?

A.—Recte.

E.—Ego quoque!

M.—Fuitne via commoda?

E.—Sic satis; primum raeda longa, deinde autocineto huc pervenimus. Pater meus nos ex aeriportu vexit.

M.—Et quam regionem visistis?

A.—Matritum! Pulchrum oppidum, Marce. Magnum quoque. Ibi sunt amici boni.

M.—Et quamdiu ibi mansistis?

E.—Tres ipsos/totos dies.

M.—Gaudeo, amici. Ego tamen nusquam ivi.

A.—Posthac tu venies quoque.

APPENDIX III

En Silvarum Latinarum hoc anno a discipulis perlectarum exempla, quae *tertiam iam experientiam* Fosterianam *per usum* complectuntur.

SILVA LATINA XV

(06/05/22)

LINGUA LATINA I

Phaedri fabulam, cui nomen *Simius Tyrannus* est, legemus hodie. Phaedrus vir Graecus fuit, qui Romam pervenit. Romae liberatus est, quia servus erat, et fabulas auctoris Graeci Aesopi Latine reddidit.

i) «*Vtilius homini *nil** [= nihil] *est quam recte loqui*».

- a) Quid «*utilius*» est? Unde venit? Scribe aliter.
- b) «*recte*» quid est? Unde venit?
- c) Quid significat?

ii) *Duo homines, unus fallax et alter verax, *iter simul agebant** [= ambulabant simul]. *Venerunt in provinciam simiarum. Ipse [simius], qui *prior** [= princeps] *esse videbatur, iussit eos teneri. Iussitque omnes sibi similes adstare ante se ordine longo, dextra laevaue, et sibi *sedile** [= sella] *parari. Iubentur homines adduci in medio.*

- a) Quot homines in fabula sunt? Quales sunt?
- b) Quo advenere?
- c) Quaere in lexico verbum «*iussit*» et scribe omnia tempora activa passiva imperativa in persona «*vos*». Quid illud verbum poscit?
- d) Si «*teneri*» infinitivus est, cur in «*ri*» exit? Cur quoque infinitivus «*adduci*» in «*i*» exit?
- e) Quid accidit, cum simius homines invenit?

f) Dic Latine: «Mis padres ordenaron que limpiara [= purgo] todo el suelo [= pavimentum] de mi habitación».

III) *Ait* [= dicit] maior: «*Quis sum ego?*» Fallax dixit: «*Tu es imperator*». Iterum interrogat: «*Et isti quos vides ante me stare?*» Respondit: «*Hi sunt comites tui, primicerii [= praefecti], campidoctores, milites*». Et quia mendacio laudatus est, iubet illum munerari, et quia adulatus est, omnes illos fefellit. Verax autem apud se cogitabat: «*Si iste mendax, qui omnia mentitur, sic accepit, si verum dixerō, magis munerabor*». Tunc ait maior simia: «*Dic et tu, quis sum ego, et hi quos ante me vides?*» At ille, qui semper veritatem amabat et loqui [vera] consueverat, respondit: «*Tu es vere simia, et omnes hi similes tui simiae semper sunt*». Iubentur [hominem veracem] continuo lacerari dentibus et unguibus, eo *quod* [= quia] verum *dixisset* [= dixit].

- a) Quid fallax homo dicit de simio et de ceteris?
- b) «*isti*» est casus _____, ergo in singulari numero _____. Quid hoc pronomen significat? Scribe unam sententiam, quae pronomen «*iste*» et «*ille*» contineat.
- c) Cur «*munerari*», si infinitivus est, in «*-ri*» exit? Scribe tres praecipuas partes et dic quid significet.
- d) Quare «*fefellit*» in lexico et scribe omnia tempora activa passiva imperativa in persona «*ego*».
- e) Num homo fallax punitus est? Explana, quid ei acciderit.
- f) Dicitne falsa homo verax? Quid dicit?
- g) Cur «*lacerari*», si infinitivus est, in «*-ri*» exit? Unde venit? Quid significat?
- h) Muneratur homo verax?
- i) Dic Latine: «*Estos ejercicios deben ser escritos por ti mejor que antes. Quien *trabaja* [= operam dare] correctamente, mayor *conocimiento* [= doctrina, ae] recibirá*».
- k) Quid, postquam fabulam legisti, suadere potes?

* * *

SILVA LATINA XVI
(13/05/22)
LINGUA LATINA I

Silvius Aeneas Piccolomini legatus Civitatis Vaticanae fuit. Paulo post pontifex Ecclesiae electus est, cui nomen Pius II fuit. Scripsit historiam *De duobus amantibus* et *Commentarios*. *Commentariorum* partem legemus.

1) *Eo salutato, cardinalis *Basileam* [= est urbs Germanica] venit, atque inde per *Rhenum* [= est fluvius] *Coloniam Aggripinam* [= civitas Germanica] navigavit, ubi rursus, equis conscensis [...] *Duacum et Tornachum* [urbes sunt] in Atrebatibus descendit, ubi conventus totius Galliae et Angliae cardinalem morabatur.*

- a) Qui casus «eo» est? Pone in numero plurali.
- b) E quo verbo «salutato» originem ducit? Scribe tres praecipuas partes sicut in lexico sunt et dic familiam.
- c) Dic aliter pro «eo salutato».
- d) «equis» est casus _____, ergo in singulari numero _____.
- e) E quo verbo «conscensis» originem ducit? Scribe tres praecipuas partes sicut in lexico sunt et dic familiam. Scribe quoque omnia tempora et indicativi et imperativi modi in persona «vos».
- f) Dic aliter pro «equis conscensis».
- g) Ad quem gregem «conventus» pertinet, si genetivus in «-us» exit?
- h) «morabatur» est tempus _____, ergo in plurali numero _____.
- i) E quo verbo «morabatur» originem ducit? Estne verbum commune? Explicana.
- k) Si «totius» cum «Galliae et Angliae» coniungitur, qui casus esse potest?
 - l) Quem casum «morabatur» poscit?
- m) Quo cardinalis pervenerat?
- n) Quid in Atrebatibus erat?
- o) Dic Latine: «Después que la luz * fue apagada* [= exstinguo], mi madre llegó con el coche» / «Mientras los niños *juegan* [= ludo], Antonio compró el pan».

Seneca quoque multum nos de vita docebit. Ecce consilium, quod discipulo suo Lucilio dat.

II) *Iam clausulam epistula poscit. Accipe, et quidem utilem ac salutarem* [clausulam], *quam te *affigere animo** [= recordari] *volō: «aliquis vir bonus nobis diligendus est ac semper ante oculos habendus, *ut sic** [= para que así] *tamquam illo *spectante** [= observante] *vivamus et omnia tamquam illo vidente faciamus».*

- a) Num incipit Seneca epistulam suam?
- b) Si «accipe» imperativus est, in plurali numero _____ .
- c) E quo verbo «affigere» originem ducit? Scribe tres praecipuas partes sicut in lexico sunt et dic familiam. Scribe quoque omnia tempora et indicativi et imperativi modi in persona «tu».
- d) Cur clausula discipulo recordanda est?
- e) Dic aliter «nobis diligendus est» et «ante oculos habendus est». Scis synonymum pro «diligendus»?
- f) Qui casus est «illo spectante» / «illo vidente»? Pone in plurali numero.
- g) Dic aliter pro «illo spectante» et «illo vidente».
- h) Quid debemus agere, si semper bona facere volumus?
- i) Scribe orationem obliquam:
 - iam clausulam epistula poscit (putabat).
 - aliquis vir bonus nobis diligendus est ac semper ante oculos habendus est (dicunt).
- k) Dic Latine: «Porque mis padres quieren, debo hacer eso que debe ser hecho ahora/ lo que debe hacerse».

Titus Livius (auctor celeberrimus Romanus) historiam Romae scripsit, quo Aeneas (amicus Hectoris illius Troiae) pervenit. Livius nobis narrat, quid Aeneas in initio fecerit.

III) *Dicunt... Aeneam *ab** [=de] *simili clade domo profugum sed *ad maiora rerum initia** [= para realizar proyectos más grandes] *ducentibus fati* [fugisse], *primo in Macedoniam venisse, inde in Siciliam quaerentem sedes *delatum esse** [= bajar de la nave]...

- a) Quem casum praepositio «a/ ab» poscit?
- b) Pone «ab simili clade» in plurali numero. Ad quem modum «simili» pertinet? Scribe nominativum masculinum et femininum.

- c) Qui casus «ducentibus fatis» est? Pone in numero singulari.
- d) Quaere in lexico «ducentibus» et scribe tres praecipuas partes sicut in lexico sunt et dic familiam. Scribe quoque omnia tempora et indicativi et imperativi modi in persona «ego».
- e) Dic aliter pro «ducentibus fatis» (ante in lexico vide, quid «fatis» significet).
- f) Quid in oppido Troia accidit? Num Aeneas vicit?
- g) E quo verbo «delatum» originem ducit? Scribe tres praecipuas partes sicut in lexico sunt et dic familiam.
- h) Cur Siciliam petivit?
- i) Scribe orationem rectam:
- Aeneam ab simili clade domo profugum sed ad maiora rerum initia ducentibus fatis fugisse.
 - primo in Macedoniam venisse.
 - inde in Siciliam quaerentem sedes delatum esse.
- k) Dic Latine: «Después que fue abierto el libro, el maestro leyó la primera frase».

Symbolae librique adhibiti

- AGOSTO, M. (2020) «De Tulliopolis», *Academia Latinitati fovendae* <https://academialatinitatifoventae.com/de-colloquiis> {22-01-2023}.
- AGUILAR, M.L. (2019) «Usus adversus doctrinam? Grammatica in schola alterius linguae. Grammatica Latine tradita», *Thamyris* x, pp. 237–264, 2019.
- AGUILAR, M.L. (2020) «De rationibus ac principiis quibus constat comparatio aliarum linguarum (SLA) ad linguam Latinam tralatis ac conversis», *Classical World*, vol. 113, n. 3.
- BEARD, M. (2019) «What does the Latin actually says», *The Times*. [22-01-2023]
- COULTER, G. *Prima experientia et ludi domestici* (<https://frcoulter.com/latin/first/index.html>) {22-01-2023}.
- DICKEY, E. (2015) *The Colloquia of the Hermeneumata Pseudodositheana: Volume 2*, Cambridge, Cambridge University Press.
- ERASMUS, D. (1823 [1524]) *De copia verborum*, Londinii.
- FOREMAN, A.Z. (2019) *Latin as She is Spoke: How Classicists Tricked Themselves and the Real Issue with Mary Beard's Latin* (<http://blogicarian.blogspot.com/2019/03/argumentum-ad-ignorantiam.html>) {22-01-2023}.
- FOSTER, R. (2016) *Ossa Latinitatis Sola*, Washington, CUAPress.
- FOSTER, R. (2021) *Ossium Carnes Multae*, Washington, CUAPress.
- GRAY, F. (1991) «Montaigne bilingue: le latin des "Essais"», *Études Montaignistes*, 7.
- IUVENCIUS, I. (1825) *Ratio discendi et docendi*, Avenione.
- NAVARRO, R. (2023) «Quindecim post annos», apud societatem, c.n. Cultura clásica: <https://culturaclasica.com/quindecim-post-annos-quince-anos-des-pues/> {22-01-2023}.
- Ratio atque institutio studiorum societatis Iesu* (1606), Romae.
- MIRAGLIA, L. (2009) *Nova via*, Montella, Edizioni Vivarium Novum.
- MONTAIGNE, M. (1962) *Essais* I, París.
- OLIMPI, A. (2017) *Perseus et rex malus*, Dacula, Createspace.
- OLIMPI, A. (2017) *Via periculosa*, Dacula, Createspace.
- OLIMPI A. (2018) *Labyrinthus*, Dacula, Createspace.
- OLIMPI A. (2018) *Ego Polyphemus*, Dacula, Createspace.
- ØRBERG, H. (1991) *Familia Romana, Domus Latina*, Dania.
- POOLEY, L. (2021) *Ossa Ostensa*, Washington, CUAPress.
- STEPHENSON, S. M. (1939), *Usus loquendi seu eclogae emendatissimae ex scriptis temporum omnium Latinis*, Cincinnati.
- STROH, W. (2013) *El latín ha muerto ¡Viva el latín!*, Barcelona, Ediciones del subsuelo.
- TÁRREGA, J. (2018) «Fluvii transitum ponte coniungamus. De auctoribus in lyceis per usum tractandis», *Thamyris* IX, 139–154.
- TÁRREGA, J. (2022) «De Sallustio praelegendo: causae, rationes et consilia docendi», *New England Classical Journal*, 49.1.

TUNBERG, T. (2012) *De rationibus quibus homines docti artem Latine colloquendi et ex tempore dicendi saeculis XVI et XVII coluerunt*, Lovaina, Leuven University Press.

Libri ut melius docendi rationes per saecula intellegantur consulendi

- CALVO FERNÁNDEZ, V. (2005) *Grammatica proverbiandi: la enseñanza del latín en la baja edad media española: estudio y edición del texto contenido en el ms. 8950 de la Biblioteca Nacional de Madrid*, Tesis Doctoral, Madrid, UCM.
- FLAMMINI, G. (2004) *Hermeneumata Pseudodositheana Leidensia*, Múnich-Leipzig, De Gruyter.
- KENNETH F. KITCHELL, JR. (2016) *The Other Middle Ages. A Medieval Latin Reader*, Illinois, Bolchazy-Carducci Publishers.